



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCVI. Ioannis Papae VIII. Ad Gvaiferivm Principem Salernitanvm.  
Eadem quae in superiori. praeterea arguit, quod contra Capuanos arma  
sumpserit. rogat vt mancosos sibi ab Amalfitanis restitui ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

post obitum Landulfi bona memoria Capuani episcopi, cum Pandenulfo coniunxit, & iusurandum fraterno ac indiuisibili foedere inter vos habitu firmassetis, luce clarioris nouimus: sed suadente humani generis inimico, & zianorum inter vos semina diffundente, omnem concordiam, & vnanimitatem, quæ inter vos diuino respectu extiterat, videamus corruptam atque confusam. Pro quo videlicet tanta inimicitia malo, vobis iam literis nostris per Dominicum venerabilem episcopum nostrum ad vos delatis, innotescentes, mandauimus quoniam Deo propitio, pro vestrum omnium salute ac pace volumus Kalendis Octobribus Traiectum venire, ibique vobiscum, & cum Guaiferio glorioso principe, atque cum Capuanis, certisque vestratis loqui, & ordinare primum ea quæ nobis & vobis sunt necessaria, vestraeque paci & utilitati proficia; quatenus totius discordia scandalo de medio vestri ablato, & recepta Dei pace, quæ superat omnem sensum, in fraterna dilectione, & in pristina deuotione omnes concordes, & vnamimes manere valeatis: & tunc siue de Landulfo venerabili presbytero, quem omnium Dei sacerdotum, & iudicium, seu totius Capuanæ plebis voto, parique consensu electum habetis, siue de aliis necessariis causis, vestram secundum sacros Canones adimplebimus voluntatem; & idcirco graue non videatur nobilitati vestra nostrum, ut dictum est, speciale præstolari aduentum.

Philipp. 4.

## EPISTOLA CCVI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD GVAIFERIVM PRINCIPEM SALERNITANVM.

Eadem quæ in superiori. præterea arguit, quod contra Capuanos arma sumpserit. rogat ut mancosos sibi ab Amalfitanis restitui curet.

*Dilecto filio Guaiferio glorioso principi.*

**S**IC VT nobis literis vestris mandastis, quod deuotam circa nos amicitiam, & sinceram conseruetis dilectionem, hoc multis iam evidentibus documentis luce clarioris agnoscimus & tenemus: vnde & noster apostolicus

animus circa nobilitatem vestram , vtpote circa carissimum filium, benignus existit, cupiens honorem , & gloriam vestram semper immutilatam conspicere & audire. De electo autem Landulfo , videlicet venerabili presbytero Capuanæ ecclesiae , pro quo iam toties nostro pontificio suggestisstis , non aliquo malæ voluntatis affectu vos nunc vsque audire prætermisimus , sed sola pacis veræ causa , & inter proximos augendæ dilectionis. Nam sicut vobis nunc literis nostris per Dominicum episcopum ad vos delatis mandauimus , cupimus, Deo propitio , pro vestrum omnium salute , concordia , & vnanimitate Kalendas Octobribus Traiectum venire , ibique vobiscum & cum Capuanis , ceterisque vestratisbus loqui , & ordinare primum ea , quæ nobis & vobis sunt necessaria , & vestræ paci, vtilitatique proficia; & tunc siue de praefato electo , siue de aliis necessariis causis , vestram adimplebimus voluntatem : quia vestro sagaci consilio , communique consensu , quæ pro pace fraterna , & pro terræ nostræ , ac vestræ defensione siue Sarracenorum perditione consideranda & perficienda sunt , peragere cupimus. Quapropter , sicut nos vestrum volumus desiderium & honorem alacri mente implere , ita quoque & vos illa quæ nostro apostolico culmini sunt decentia , deuota mente debetis peragere : quamuis in hoc reprehensione non modica digni videamini , quod sumptis armis contra Capuanos inter assiduas Pagorum persecutions consistentes , persequi & impugnare præsumpseritis , antequam eorum culpas nobis veraciter cognitas fecissetis. Porro de mancosis , quos pro defensione terræ sancti Petri dedimus te praesente Amalitanis ; volumus ut eosdem mancosos ipsi Amalitani deferant secum nauigio vsque in portum vrbis Romanæ , quoniam salui & securi ibi manebunt ; & tunc accepta a nobis prius securitatis sponsione , ipsos nobis mancosos reddere procurent : quatenus nostra recipientibus nobis , nullam pro his de cetero patiantur calumniam.